820
C

DE TRIFOLIO PRATENSI. CAP. CCCXV.

NOMINA.

ΤΡΙΦΥΛΛΟΝ ϕ χορτοκοπέοις γλυκύμιλυον Græcis, Trifolium pratense Latinis dicitur. Officinæ latinum nomen retinuerunt, & simpliciter Trifolium uocant. Vtendum uerò illis esset odorato Trifolio, quemadmodū altero abhinc capite diximus. Germanis Wysenklee nominatur.

GENERA.

Tria genera pratensis Trifolij. Purpureum. Candidum. Luteum.

Tria apud nos passim in pratis prouenientia Trifolij inueniuntur fastigia, quorum primum à floribus purpureis, Trifoliū pratense purpureū, germanicè braun Wysenklee / alterum itidem à floribus suis candidis, Trifoliū pratense candidum, germanicè weiß Wysenklee / & tertium luteum, germanicè geel Wysenklee appellauimus. Quod ad folia ipsa attinet, non admodū differunt: quoduis enim horum generum tribus constat foliis, quæ in primo sunt latiora & herbacea, in secundo autem longiora & angustiora, magisq; pallescentia candicantiáue. In tertio sunt minora & rotunda, atque ad Fœnigræci folia accedentia. Sunt qui hoc genus Lagopum esse putent. Sed de Lagopo suo diximus loco.

FORMA.

Caulem rotundū, cubitalem obtinent, ramos exiles, folia per interualla tria: flores in summo aut purpureos, aut candidos, aut luteos: radicē longam & lignosam.

LOCVS.

Scatent ijs prata omnia, unde etiam nomen nacta.

TEMPVS.

D Florent Maio & Iunio mensibus.

TEMPERAMENTVM.

Adstrictorię cuiusdam qualitatis sensum in gustu prę se ferunt, non tamen multum admodum, ut nihilominus sint tenuium partium & exiccatoria, quandoquidem etiam exigua quasi acrimonia prædita uideantur.

VIRES.

Haud dubiè mediocriter concoquendi & exiccandi uim possident, ut non temerè quidam ex recentioribus herbarijs tradant, Trifolia hæc albo muliebri profluuio mirificè conferre. Eadem etiam inflammationibus imposita, eas cōcoquunt, & ad maturationem perducunt.

DE TRAGOPOGONE. CAP. CCCXVI.

NOMINA.

Hirci barba.

ΤΡΑΓΟΠΩΓΩΝ, ἢ τράγιον Græcis nominatur, Latinis Hirci barba, & Coma: officinis ignota est herba. Germanis Bocksbart & Gauchbrot dicitur. Hieronymus herbarius Braunschuuigensis magno errore hypocisthida in hac herba nasci putauit. Sic autē eam Græci uocarunt, quod

Tragopogon cur dicta.

à calyce eius promissæ pendeant barbæ, uel rectius quod lutei illius flores in uolucres barbulas euanescant.

FORMA.

Caulem habet exiguum, longum tamen, & bicubitalem interdum, geniculatū, folia Croco similia, radicem longam & dulcem, supra caulem calycem magnum, & in eius summo semen nigrū, florem luteum, qui in canescentes barbulas fatiscit. Hæc etiam cum carpitur lacte manat.

LOCVS.

Sua sponte in pratis nascitur.

TEMPVS.

LEONHART FUCHS *De Historia Stirpium Commentarii Insignes* BASEL, 1542 THE WARNOCK LIBRA